



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 77. Clerus Augustanus a Suecis dire vexatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

quosdam Augustam ad Oxenstirnum Sæc. XVII. A.C. 1633.
 ablegabant, ab eo efflagitantes, ut
 quosdam Tribunos, ac Centuriones
 submitteret, qui eorum cohortes con-
 tra Cæsarem conscriptas ducerent, post-
 quam vero Holakius Cæsaris nomine
 in Silesia plurimas urbes, necnon in
 Saxonia Lipsiam occupaverat, ac Fer-
 dinandus Hispaniæ Regis Frater in Au-
 striacorum opem cum valido exercitu
 accurere dicebatur, Vinariensis a suo
 proposito, mira Dei providentia ab-
 sterritus est.

§. LXXVII.

*Clerus Augustanus a Suecis dire
vexatus.*

Quam iniqua hoc anno Clerus Augu-
 stanus a Suecis tolerare compul-
 sus fuerit, calamo vix assequi possu-
 mus; præterquam enim, quod Sueci
 eorum prædia, pagosque, ex quibus
 annuos habuerunt proventus, direptos
 incenderint, incolasque pessime habi-
 tos expulerint, insuper novas identi-
 dem, ac facultatibus longe superiores
 exactiones ab eis exegerunt, & Cleri-
 corum domos, necnon Regularium
 monasteria impositis pluribus militum
 centuriis devastarunt; præcipue vero
 die sexta Januarii, Christophori ab Aw
 sum-

*Hierarch.
 Aug. P.
 Kham cap.6.
 sect 10.
 pag. 424.
 Ex Archiv.
 Abb. ad S.
 Crucem
 pag. 144.
 Stengelius
 comm. ver.
 Aug. p. 2.
 cap. 73.*

Sæc. XVII. summi Ecclesiæ Cathedralis Præpositi
A. C. 1633. ædes, eo quod petitam tributi exactio-
nem illico numerare haud posset, a vi-
ginti quatuor militibus inter acerba
convitia diripi iusserunt, biduo post
Oxenstirni jussu, & Protestantium sol-
licitatione ac voto, Collegium Societatis
per aliquot dies integrum expul-
suarunt, nihilque intactum, cuncta di-
repta, confracta, & dispersa relinque-
tes, rapinas suas in foro publico ve-
num exposuerunt. Eadem quoque re-
reptionis sævitia Monachis ad S. Udal-
ricum, Canonicis ad S. Georgium, &
S. Crucem, aliisque Religiosis fuit in-
terminata, ni confestim recens impo-
sita penderent tributa, interim ve-
pluribus militum manipulis gravaba-
tur: die etiam sexto ejusdem Mensis
Cancellariam Episcopalem lustrabant
Sueci, direptis omnibus, quæ impo-
sita placuerunt: Curia quoque Ecclesiasti-
ca pro decidendis causis matrimonia-
libus interdicta, has causas deinceps
a Curia sæculari dijudicari, simulque
rusticos Clericorum subditos, qui ad
declinandas vexationes in urbem con-
fugerant, indicta capitis pœna exce-
dere iusserunt: die autem decima sexta
Januarii quidam Parochus in Pago
a Suecis captus, ac subtus currum ve-
canis fune ligatus, ac reptare coactus
Aug

Augustam applaudente sæce Lutherana Sæc. XVII.
deducebatur, qui numerata pecunia A. C. 1633.
a piis Viris redemptus, altero post
die obiit.

§. LXXVIII.

*Juramentum Clero Augustano a Sue-
cis impositum.*

Ne vero quis dubitaret, odii in Cle- *Kham. &*
ricos nutricem esse Religionis diffi- *Stengel. l. c.*
militudinem, hinc Benedictus Oxen-
firmus die decima septima Mensis Maji
omnes Viros Ecclesiasticos jamjam tri-
butorum exactionibus emunctos, atque
enervatos etiam conscientiae libertate,
suique Status privilegiis spoliare ag-
gredebatur, dum novam eisdem jura-
menti formulam imponeret, hujus te-
noris: „Nos Prælati, Præpositus, Ca-
nonici, Priores, Jesuitæ, Religiosi,
„Clerici, & quotquot Ecclesiastico no-
„mine censemur, promittimus, spon-
„demus, ac juramus, nos omnes &
„singulos Coronæ Sueciæ, ejusque
„confederatis semper & ubique fideles
„futuros, eisdem omnem obedientiam,
„& sinceram fidem servaturos: contra
„dictam coronam Sueciæ, ejus Pro-
„vincias & populos, itemque confæ-
„deratos nihil mali, proditiōis, doli
„vel fraudis, vel quocunque nomine

Ss 3

dici